



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis  
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae  
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra  
Doctrina, Et Essentia atque vnitae ...**

**Gil, Christovão**

**Coloniae Agrippinae, 1610**

Ex traditionibus Apostolicis desumitur infallibile argumentum Fidei. cap. 8.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

VII.

Ad calcem huius capituli, ac loci ex testimonio scripturarum vnum superest explicandum. Vtrum scilicet eodem loco scripturæ sub diuersis sensibus accepto sumi possit argumentum Theologicum. Cui quæstioni inprimis respondeo, si intelligatur de argumento probabili, nullum esse dubium, namque saltem probabile est scripturam nonnunquam continere plures sensus literales: certum vero continere plures intentos à Spiritu sancto partim mysticos, partim literales: atque adeo si adsit probabilis auctoritas, vel ratio ad interpretandum eundem locum secundum plures sensus, ex utroque sumi potest argumentum probabile. Quod non abhorret ab antiqua Patrum consuetudine, qui eodē loco sub alio, atque alio sensu utebantur ad confirmationem dogmatum. An vero sumi queat argumentum certum & infallibile, dubium est: Nam qui aiunt ex solo sensu literali depromi certum argumentum dogmaticum, & simul negant esse plures sensus literales eiusdem loci, consequenter debent negare eundem locum, sub diuersis sensibus inferuire posse ad dogmatum confirmationem. Veruntamen, quantum ex superioribus colligi potest, sententia affirmans est communis, & vera, communis quoniam ij, qui censent ex solo literali sensu duci posse firmum argumentum, docent etiam eidem loco inesse plures sensus literales, ita expresse traditur à Burgenf. in additione ad utramque prologū Lyrani, & Syluestro in rosa aurea tract. i. cap. 6. qui vero hoc secundum negant, admittunt ex sensu mystico deduci posse infallibile argumentum fidei, atque adeo, licet quoad alia dissentiant, consentiunt tamen in eo, ut dicant eundem locum sub diuersis sensibus adduci posse in ratum, certumque fidei testimonium. Ratio vero est manifesta: quoniam omnis sententia intenta ab Spiritu sancto in scripturæ reuelatione est infallibilis, & apta gignere firmum assensum fidei: ut autem constat ex superioribus, eodem loco scripturæ continentur sub eadem litera plures, ac diuersæ sententiæ à diuino Spiritu intentæ: ergo quæuis earum est aptum fidei testimonium: & consequenter, cum pertinere possint ad veritatem diuersorum articulorum, ex eodem loco sub diuersis sensibus sumi potest argumentum ad diuersa dogmata comprobanda, diuersasque ex ijs conclusiones Theologicas concludendas. Sicut ex illo, Esai. 53. *Generationem eius quis enarrabit*, concludi potest consubstantialitas

Burgenf.  
Syluest.

Esai. 53.

Christi secundum diuinitatem cum Deo Patre, secundum humanitatem cum Virgine matre quæ duo pertinent ad diuersos fidei articulos.

Ex traditionibus Apostolicis desumitur infallibile argumentum fidei.

## CAPVT VIII.

**H**æretici gloriantur, se doctrinamque suam niti puro verbo Dei: quod non aliud admittunt, quam scriptum contentum libris canonicis, quorum sententias ad libitum contorquentes in multiplices errores labuntur, traditiones vero omnino respuunt, nec vllam in ipsius dei stabilitatem agnoscunt vocantes inuenta, ac doctrinas hominum. Catholici vero omnes, ut mox dicam, traditiones Apostolicas recognoscunt, ut doctrinam Spiritus sancti, quo inspirati locuti sunt Apostoli, qui verbo tenus multa docuerunt. At quamuis concedatur diuinam ipsis auctoritatem inesse, forte inquiet aliquis ipsarum usum non esse admodum necessarium: quoniam in sacris literis, si recte intelligantur, continentur omnia, quæ necessaria sunt ad salutem, ut asserit Ambrosius Catharin. in sua clauē scripturarum, in usu primæ clauis, in decimo errore. Itaque tria hoc capite explicanda sunt. Primum dari in Ecclesia traditiones à Christo Domino, & Apostolis deriuatas. Secundum esse valde vtilēs, imò vero necessarias ad doctrinam fidei, & morum, & Conclusiones Theologicas confirmandas. Vltimum denique quænam sint veræ traditiones Apostolicæ, & quæ notæ ipsarum.

Prius autem, quam hæc tria explicentur, oportet intelligere quid traditionis nomine intelligatur. Est autem doctrina non scripto, sed verbo tradita: nam quamuis interdum traditio latè sumatur pro doctrina tradita siue verbo, siue scripto, ut constat ex Apostolo secundæ ad Thess. secundo. *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram*, iuxta quam acceptionem ea quoque, quæ scripto produntur, traditiones nuncupantur, ut constat ex dicto accusatorū Stephani, Act. 6. dicebant enim ipsum dicere: *quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locū istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses*, eæ vero scripto continebantur.

niter

Matth. 15. niter tamen traditio accipitur pro doctrina non scripta à primis ipsius doctoribus, vel ab alijs ipsorum nomine, sed voce tradita, & per temporum successiones memoraretur, & conseruata, ideoque colligitur ex verbis Christi Domini ad phariseos, Matth. 15. & Marc. 7. utrobique enim loquens de traditionibus ipsorum dixit: *suos autem dicitis*, quasi doctrina eiusmodi dictis seniorum contineretur: quo etiam modo loquebatur Apostolus primæ ad Corinthios, ubi cum acturus de sacrosancto Sacramento Eucharistiæ sic ait: *ego enim accepi à Domino quod tradidi vobis*. Non est autem ullus alius locus in Epistola ad Corinthios, ubi Paulus de hoc mysterio loquatur, & ita cum dicat se tradidisse illis veram de Eucharistia doctrinam, intelligendus est de traditione non scripta, sed per verbum enunciata. Possunt autem esse traditiones tum Dei, tum hominum, hæc sola auctoritate humana nituntur, illæ diuinæ: de humanis loquitur Christus locis citatis apud Matth. & Marcum, itemque Paul. ad Coloss. 2. Coloss. 2. videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. quæ si opponatur doctrinæ, ac traditionibus diuinis, reprobanda sunt, ut patet ex doctrina Christi, & Pauli, si vero non repugnent, vim aliquam auctoritatis habent, sed non diuinam. Traditiones vero diuinæ sunt, quæ originem habent à veritate Dei docentis per se, vel creaturæ accipientem ab ipso infallibilem doctrinam: Ex eo enim, quod per Angelos, aut viros sanctos tradantur hominibus, non desinunt esse diuinæ: quemadmodum mandata contenta lege Moylis, quamuis eius ministerio proposita fuerint populo Israelitico, non desinunt esse mandata Dei, ut constat ex verbis Christi, Marc. 7. Irritum facitis præceptum Dei, ut traditiones vestras seruetis. Moyses enim dixit, honora patrem tuum, & matrem tuam, &c. quod præceptum Dei prius appellauit, deinde vocat dictum Moylis. Eodem modo possunt esse traditiones diuinæ ministerio hominum publicatæ: & hoc modo nunc de traditionibus loquimur, dum quarimus utrum in Ecclesia sint traditiones diuinæ, non scriptæ per Apostolos Ecclesiæ verbo communicatæ, & viua voce, atque vsu quasi de manu in manum ad posteros traductæ.

III. Dico primùm, in Ecclesia sunt traditiones diuinæ non scriptæ, pertinentes ad fidem, ac mores. Hæc est omninò certa fide, patet ex citato loco Paul. 2. ad Thess.

2. ubi ex æquo commendat traditiones per sermonem, ac per Epistolam. Et Concilium Tridentinum sessione 4. initio, antequam librorum canonicorum indicem proponat, asserit veritatem fidei contineri libris scriptis, ac sine scripto traditionibus, eoque proposito subdit, *si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris, & canonicis, non susceperit, & traditiones prædictas sciens, ac prudens contempserit, anathema sit*, ex quo damnanus eos, qui libros canonicos non susceperint, & traditiones contempserint, eandem harum, ac illorum auctoritatem recognoscit, & in diuersis partibus varia fidei dogmata ex sola traditione confirmat, ut inferius constabit. Eodem quoque argumento vtuntur Patres aduersus hæreticos, ad errores ipsorum conuincendos. Hanc assertionem fuisse probant Castro, lib. 1. aduersus hæreses, cap. 5. Can. lib. 3. de locis, Stapleton. controuers. 7. lib. 12. Cardinal. Bellarmin. de Verbo Dei non scripto, lib. 4. & alij, quos refert capit. 1. Breuiter tamen ad præsens institutum ostenditur: quoniam Apostoli plurima ad fidem pertinentia tradiderunt verbo, non scripto: Deus autem, qui ea reuelauit in ædificationem Ecclesiæ, & consummationem sanctorum, nequaquam debuit permittere, ut perirent, atque abolerentur ex memoria fidelium: ergo præter Verbum Dei scriptum admitti debent in Ecclesia traditiones. Assumptio per se euidens est: nam Christus Dominus constituit Apostolos magistros orbis vniuersi non solum pro ipsorum vita, sed etiam pro toto tempore Ecclesiæ, idè enim vera doctrina dicitur Apostolica; frustraretur autem Deus sine suo, si necessaria ad conseruationem, augmentum, & consummationem Ecclesiæ Apostolis è vita sublati abolerentur. Maior propositio ex ipsamet scriptura deducitur, etenim Paul. 1. ad Corinth. 11. *cetera cum venero disponam*, & citato loco ad Thessal. testatur se aliqua per sermonem tradidisse. Præterea Christus Dominus misit Apostolos prædicare Euangelium: quod absque ducto Thomas, Philippus & alij Apostoli, quorum nulla extant scripta canonica, præstiterunt: ergo quod ab his, & alijs traditum est, habebat auctoritatem fidei infallibilem, alioquin ante librorum canonicorum scriptionem non erat in Ecclesia sufficiens auctoritas, ac motium fidei diuinæ:

quod

Concil. Trid.

Castro.  
Canus.  
Stapleton.  
Bellarmin.

1. ad Cor. 11.  
2. ad Thess. 2.

quod est absurdum, & contra verbum Dei scriptum in actis Apostolorum. Nam ex prædicatione Philippi diaconi recepit Samaria verbum Dei, non utique scriptum, sed vocali prædicatione traditum: quo etiam modo ab eodem Euangelizante Christum instructus de fidei mysterijs credidit Eunuchus Candacis Reginae, ut habetur Actor. 8. Itaque certum omnino est Apostolos verbo prædicasse Euangelium, & eiusmodi prædicationem sat esse ad habendam fidem diuinam. Ex quo ulterius sequitur, antequam Apostoli dispergerentur per orbem vniuersum, & Matth. omnium primus scriberet Euangelium. Verbum Dei reuelatum tempore Nouæ legis non scriptis traditionibus fuisse contentum, & habuisse vim obligandi fideles ad credendum. Hanc autem vim non amittit ex eo, quod Apostoli, & Euangelistæ Mytheria fidei literis consignarint: ergo etiam modo illam habet.

## IV.

Respondent hæretici, quamuis hæc ita se habeant, non esse alias traditiones præter eas, quæ scripto continentur: quoniam Apostoli, & Euangelistæ scriptis complexi sunt omnia, quæ sunt necessaria ad fidem. Verum hæc responsio gratis sumitur, & nullo fundamento nititur: non enim proferunt vllum scripturæ testimonium, aut Ecclesiæ decretum, quo id asseratur: neque est ratio conuincens, siquidem non alia excogitari potest, quam necessitas scripti ad conseruationem Verbi Dei reuelati, hæc vero nulla est, namque per memoriam, & continuam successionem fidelium absque scripto seruari potest Verbum Dei sufficienter ad salutem, & fidem faciendam. In antiquis enim patriarchis, qui tempore legis naturæ vixerunt ante legem scriptam, viguit fides, & Verbum Dei reuelatum: & tamen non constat de scriptura ipsius, imò traditiones aliquas absque scripto ad posteros dimanasse certum est: qualis fuit traditio de circumcisione, & alijs pertinentibus ad cultum vnius veri Dei, ut constat ex capit. 17. & 18. Gen. Sicut ergo eo tempore per traditiones non scriptas conseruabatur Verbum Dei, ita quoque tempore legis Nouæ conseruari potest quoad ea, quæ scripta non sunt: atque adeò ex hoc cap. colligi non potest, omnia prorsus ad fidem, & mores pertinentia contineri Verbo Dei scripto. Contra vero esse traditiones non scriptas in libris Canonicis, docet Concilium Tridentinum vbi supra, docent communiter patres videndi apud

Gen. 17. &  
18.

Concil. Trid.

auctores citatos: & colligitur ex verbis Diui Pauli 2. ad Timoth. 1. *formam, inquit, habes sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, bonum depositum custodi, & cap. 2. & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere: quædam igitur Apostolus Timotheum docuerat, quæ non haberentur in scripturis, & quæ tamquam depositum, apud semetipsum, vel apud idoneos tantum depositarios Verbi Dei custodire deberet, nec tradere fidelibus omnibus, at quæ per scripturas traduntur sine discrimine omnibus proponuntur: quare Diuus Paulus aliqua verbo viuo docuerat Timotheum, quæ, ut ipse idoneis tantum hominibus verbo etiam traderet, hortabatur. Quod de omnibus Apostolis asserit D. Basil. lib. de Spi. S. cap. 27. vbi cum egisset de sanctuario, eiusque arcanis mysterijs, à quibus vulgus arcebat, subdit, ad eundem modum etiam illi, qui ab initio res Ecclesiasticas sancierunt Apostoli, & Patres in occulto, ac silentio mysterijs auctoritatem conseruauit: neque enim omnino mysterium est, quod ad populares, ac vulgares aures effertur: hæc est ratio cur quedam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum.*

Quod attinet ad secundum. Vtilitas, ac necessitas traditionum præcipua est ad euertenda dogmata nouatorum, & profanas vocum nouitates: nam, cum in sacris literis non contineantur expressè omnia, quæ ad fidem, ac mores pertinent, & nonnulla loca sint obscura, ac difficilia intellectu, quæ hæretici non intelligentes imperite, imò verò impiè deprauant, & ad falsos sensus detorquent, maxime conducunt traditiones ad fidei puritatem conseruandam: inprimis quidem conseruando in corde Ecclesiæ, in viuo memoriæ thesauro dogmata non scripta, qualia sunt pleraque ad sacramentorum veritatem, administrationem, & vsum pertinentia: hæc enim quia tempore Apostolorum erant in communi praxi Ecclesiæ, visum illis est non oportere, ut singula scriptis commendarent, sed sat esse communem traditionem ab vniuersa Ecclesia receptam, & vfu confirmatam. Qua de causa pleraque horum definit Concilium Tridentinum ex traditione, verbi gratia, sessione quinta in decreto de peccato Originali, paruulos esse baptizandos in remissionem peccatorum. Alia vero, quorum in sacro textu mentio fit, à traditione explicantur: qualia sunt,

2. ad Tim.

V.

Concil. Trid.

sunt, quæ ad Eucharistiæ, & poenitentia sacramenta pertinent: de his enim est Verbum Dei scriptum, quod tamen impij hæretici conantur falsis interpretationibus eludere: conuincuntur tamen falsitatis ex perpetua Ecclesiæ traditione ab Apostolis deriuata: Verba illa Iacobi Apostoli, cap. 5. *infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum*, quæ hæretici in alienum sensum detorquent, Concilium Tridentinum sessione 14. cap. 1. ex traditione Apostolica per manus accepta interpretatur de vero sacramento extreme vnctionis: eademque ratione sessione 23. cap. 1. & 3. ex eadem traditione iuncta locis Scripturæ deducit nonnulla spectantia ad sacerdotium, & sacram ordinationem. Quæ consuetudo non est noua in Ecclesia, sed ab ipsius exordio ad hæc nostra tempora continuata: semper enim in dubijs quæstionibus de fidei mysterijs Patres ad traditiones recurrerant: & cum hæretici pro se quoque Scripturas, malè tamen intellectas proferrent, Concilia, & Patres non solum Verbum Dei scriptum, sed etiam traditiones obiecebant: ex quibus contende-  
bant elici debere verum, ac sanum sensum Scripturarum, & puram atque syn-  
ceram dogmatum veritatem: Ita Cœlesti-  
nus Papa in decretis ad Episcopos Galliæ decreto 11. ex traditione Apostolica sup-  
plicandi Deo pro obtinendo gratiæ auxi-  
lio, probat contra Pelagium gratiæ neces-  
sitatem: ex eadem probat Innoc. in epist. ad Concil. Carthag. & Mileuit rectè eos de exortis hæresibus Apostolicam sedem consuluisse.

VI. Ut autem tertium explicem, ob-  
seruo traditiones interdum appellari A-  
postolicas, interdum Ecclesiæ, inter-  
dum Patrum: Apostolicæ dicuntur à  
Concilio Tridentino sessione quinta in  
decreto de peccato Originali, & sessione  
23. cap. 3. Ecclesiæ Catholice appellan-  
tur, eadem sessione capit. 1. has vero eas-  
dem dici traditiones Patrum constat ex  
Epistola Mansueti Episcopi Mediolanensi.  
nomine Concilij ibidem celebrati ad Con-  
stantin. Imperatorem, quæ habetur se-  
cundo tomo Concil. ante sextam Syno-  
dum Constantinop. nā cum dixisset se pa-  
ri reuerentia suscipere traditiones Sancto-  
rum Apostolorum, subdit, seu reueren-  
tissimorum Patrum, qui in prædictis Con-  
cilijs affuerunt: pro eodem accipiens tra-  
ditionem Apostolorum, ac Patrum. Eo-

dem modo appellantur in Concilio Chal-  
cedonensi actione prima à Lucentio Epi-  
scopo Vicario sedis Apostolicæ, itè actio-  
ne 7. Synodi Constantinop. lecta in Chal-  
cedonensi actione 1. dicuntur traditiones  
Apostolorum, quia ab ijs sunt promulgatæ  
fidelibus: dicuntur traditiones Ecclesiæ,  
quoniam eas ipsa seruat, & cōtinua succef-  
sione transmittit ad posteros: dicuntur  
traditiones Patrum, quoniam ab ijs vt præ-  
cipuis Ecclesiæ Pastoribus, atque Doctori-  
bus custodiuntur, defenduntur, explican-  
tur. Verum primus ipsarum auctor Deus  
est, à quo eas Apostoli acceperunt, vt indi-  
cat Paulus cum de Eucharistia loquens, 1. ad Cor. 11.  
*ego, inquit 1. ad Corinth. 11. accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, tradiderat vero nondū  
scripto, sed voce. Duplex autem modus ac-  
ceptionis traditionum à Deo, explicatur à  
Concil. Tridentino sessione 4. in decreto  
de scripturis Canonicis: nam, cum dixisset  
fidei veritatem contineri libris scriptis,  
& sine scripto traditionibus, subdit, *quæ*,  
nimirum traditiones, *ipsius Christi ore ab*  
*Apostolis acceptæ, aut ab alijs Apostolis Spiritu*  
*sancto dictante, quasi per manus tradita ad*  
*nos vsq; peruenerunt*. Itaque omnes in Deum  
auctorem referuntur, siue à Christo im-  
mediatè, siue ex Spiritus sancti inspira-  
tione acceptæ: ideoque æqualem habent  
auctoritatem. Vt enim ait beatus Cy-  
prianus in sermone de lotionem pedum: *sicut*  
*par est Spiritui sancto, & Christo diuinitas, ita in*  
 *suis institutis aqua est auctoritas, & potestas: nec*  
 *minus ratum est, quod dictante Spiritu sancto*  
 *Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, &*  
 *in sui commemorationem præcepit*. priore mo-  
do habetur ex traditione Apostolica chris-  
matis compositio ex Deo, ac balsamo, &  
eiusdem benedictio, hanc enim Christum  
Dominum in die vltimæ Cænæ instituisse,  
ac docuisse Apostolos tradit Fabianus  
Papa Epist. 2. cap. 1. eodem modo docet,  
Ioan. 3. in sua decretali, Apostolos solum,  
& eorum successores posse per manus im-  
positionem tradere Spiritum sanctum, hoc  
illis Christo præcipiente, ac denunciante.  
De posteriore modo loquitur D. Cyrill. Alexand. lib. 1. contra Iulian. agens enim  
de Apostolis sic ait: *quæ verè audierunt à Deo,*  
 *ea ex vno spiritu locuti sunt: & de hoc dubitare*  
 *nos non sinit sapientissimè dicens ipse Dominus*  
 *noster Iesus Christus, non vos estis qui loquimini,*  
 *sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vo-*  
 *bis: proinde gloriamur in fide de Deo, quam*  
 *à sanctis Patribus, qui olim fuerunt, accepimus*  
 *non vitiatam: nam quamuis hæc verba*  
 *accommodari possint etiam tradi-*  
 *tionibus scriptis, tamen verba Christi*  
 *quorum*

Cœc. Chal. ed

Conc. Cōstant.

1. ad Cor. 11.

Concil. Trid.

Cyprian.

Fabian.

Ioan. 3.

Cyrril. Alex.

quorum auctoritate nititur sententia Cyrilli respiciebant doctrinam vocali locutione predicandam, monuerat enim Christus, Matth. 10. ne ducti ad iudicium tribunalia, praemeditarentur quid locuturi essent, quia ex Spiritu sancti inspiratione suggerendum illis erat, quid dicerent: & tunc subdidit: *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.*

Ex dictis sumi potest definitio traditionum ad mentem Concilij Tridentini citata sessione 4. in hunc modum, *traditiones Apostolicae sunt sententiae Apostolorum, ad fidem, vel mores pertinentes, vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatae & continua successione in Ecclesia conservatae.*

## VII.

Verum quoniam traditiones non continentur scripto Canonico, opus est apponere notas, quibus vera à falsis internosci possint. Plures autem traduntur ab auctoribus citatis, quae omnes ad tria capita reduci possunt. Primum est definitio Ecclesiae. Secundum vniuersalis, & immemorialis usus eiusdem à tempore Apostolorum. Tertium sententia, siue testimonium commune Patrum asserentium dogma aliquod tamquam à maioribus acceptum. Ex

Concil. Trid. primo constat id, quod definitum est à Concilio Tridentino sessione 7. Can. 1. de institutione sacramentorum: nimirum quod sint à Christo instituta haberi ex traditione Apostolorum, quoniam non continentur vlla Scriptura canonica, ut docet D.

S. Thom. Thom. 3. p. quaest. 64. art. 1. ad secundum. Hinc etiam nata est acclamatio fieri solita in Concilijs, *haec est doctrina patrum, haec est fides Apostolorum*: nam Patres & Apostolos indistinctè nominando eos etiam comprehendunt, qui nihil scriptum reliquerunt: & cum multa diffiniantur, quae expressè non continentur in sacris literis, non aliter dici potest eam esse doctrinam, vel fidem Apostolorum, nisi ratione traditionum non scriptarum. Ex secundo habetur adorationem Eucharistiae niti eadem traditione, quoniam haec est totius Ecclesiae vniuersalis consuetudo, cuius initium nescitur post tempora Apostolorum: hoc signum sumitur ex Basilio de Spiritu sancto, cap. 27. *Si consuetudines, inquit, quae scripto prodita non sunt, tamquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere imprudentes, & ea damnabimus, quae in Euangelio necessaria ad salutem habentur, ubi consuetudinem scripto non proditam pro traditione accipit.* Ex hac radice pro Baptismo paruulorum, & remissione culpae originalis arguit August.

August.

Basilius.

Epist. 28. & 105. & pro non rebaptizandis haereticis, lib. 1. contra Crescon. c. 33. hanc

vero consuetudinē etiam nondum in Concilijs approbatam habere vim fidei, sumitur ex D. August. lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 7. *multa, inquit, non inueniuntur in literis Apostolorum, neque in Concilijs posterorum: & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur*, hac ratione Concilium Tridentinum sessione 21. cap. 1. ex iudicio, & consuetudine Ecclesiae definit laicos, & clericos non conficientes nō obligari iure diuino ad communionē sub utraque specie. Ex tertio denique constat de fide esse ex traditione pueris remitti peccatum Originale in Baptismo, quoniam haec est mens cunctōrū Doctōrum Ecclesiasticorum. Vfus autem huius loci est aequae auctoritatis, ac Scripturae diuinā ex Basilio, Basil. & Chrysost. docet Stapletonus, lib. cit. c. 1. r. 1. cap. 6. & ratio est euident, quoniam utraque habet infallibilem veritatem ex immediata reuelatione Dei, & quidem inter Catholicos ex aequo uterque adhiberi potest. At vero contra haereticos multo fortius argumentum sumi à traditionibus ex doctrina patrum ostendit Canus, lib. cit. cap. 3. in 4. fundamento: quandoquidem ij Scripturas intorquent, ac peruertunt falsis interpretationibus: at traditiones, cum sint vsu, & consuetudine, vel communi Sanctorum attestatione comprobatae, nō possunt ita facile in prauum sensum traduci: & in multis inferuiunt ad pleniorē expositionem Scripturae, & veri dogmatis confirmationem. Sed de his forte plura, quā praefens locus postulat: sed quia iacienda sunt fundamenta, & supponenda principia, quibus uti debet Theologus in discursu Theologico, visum est haec aliunde decerpere ad stabiliendam veritatem.

Ecclesiae auctoritate continetur  
irrefragabile fidei argumentum.

## CAPVT IX.

SI verbum Dei scriptum, & non scriptum recte ab omnibus intelligeretur, non opus esset alia auctoritate infallibili ad vtriusque propositionem, atque interpretationem. Verum ex eodem testimonio Catholicus veram fidem, haereticus peruersum dogma elicit, haereticis enim, ut auctor est Tertullian. lib. aduersus Hermog. cap. 19. *mos est etiam simplicia Scripturarum verba torquere*, qui ut ait Martinus Papa in Concilio Lateran. consultatione tertia, *ipsis pat-*

ternis